



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus V. De Eleemosyna per dolum obtenta, & contractu dolosè inito.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

C A S U S V.

De Eleemofyna per dolum obtenta, & contractu
dolosè inito.

Pauperius Opifex, licèt ex propriis mediis, & laborando se commodè sustentare poffet, laborare tamen valens, fed nolens, mendicare non erubescit, fed ostiatim Eleemofynam colligit, quam ut liberaliorem obtineat, filiam, quam secum circumducit, à Dæmone obsessam fingit.

QUÆR. I. An qui, simulata paupertate, Eleemofynas à populo accipit, alioquin eas illi non daturò, teneatur ad restitutionem? etsi tenetur, an restitutio faciendâ sit ipsi danti, an vero pauperibus?

QUÆR. II. An, & qualis dolus vel error, dans causam contractui, sed non versans circa rei substantiam, vitiet contractum?

QUÆR. III. An qui denegavit Eleemofynam pauperi extremè indigenti, cui tenebatur succurrere, teneatur, transacta necessitate, aliquid postea restituere?

29 **A**D I. Q. Notandum est, dolum ac deceptionem aliquando versari circa causam finalem & motivum principale, aliquando circa causam impulsivam. Tunc dolus dicitur versari circa causam finalem, quando disponens non disposuisset, si dolus adhibitus non fuisset; versari verò circa causam impulsivam dicitur, quando quis cessante eo dolo dedisset quidem, vel emississet, sed non ita libenter aut non ita facile, vel tam citò. Quod si sit causa extrinseca seu impulsiva tantum, movet quidem voluntatem

R. P. Leonardelli Soc. Jesu,

in genere causæ finalis, adeò ut nisi eâ voluntas impelleretur, lapè non vellet, vel contrarium fieri vellet, non tamen movet principaliter, sicut tamen movet causa finalis, principalis; nam causa Propriè finalis, ac principalis movet per se voluntatem, tanquam substantialis pars objecti ejus, ut notat Laym. ideoque ex se sufficiens est ad disponendam voluntatem, postquam excitata est ad volendum, ut velit suum actum firmum, & efficacem esse, si causa seu motivum illud principale subsistat, etsi alia adjuncta & secundaria non subsistant: Unde fit, ut

E si

si eleemosyna data sit homini hæretico, simulanti se catholicum, subsistat donatio, utpote, quæ principaliter facta est intuitu paupertatis, & misericordiæ, licet donator non dedisset, si simulatio ei prius innotuisset.

Notandum 2. Dolum vel errorem subinde dare causam donationi, & contractui; subinde incidere duntaxat in donationem, & contractus. Donationi, & contractui causam dare tunc dicitur, quando donans non erat donaturus, vel emens non empturus, nisi deceptio, & dolus, vel error intervenisset, ita ut ab his donans ad donandum, vel contrahens ad contrahendum fuerit inductus, ut si quis equum emat, illum non empturus, si sciret illum esse inutilem ad cursum, & immorigerum, vel si eleemosynam des propter paupertatem, aut vitæ sanctitatem, quam alteri inesse arbitraris, alias non daturus; ubi ea paupertas, aut vitæ sanctitas causa est talis donationis, seu eleemosynæ. Incidere in contractum tunc dicitur deceptio, dolus, vel error, quando etiam cognito dolo, vel errore deceptus nihilominus contractum initurus fuisset, licet non eodem modo, vel tanto pretio aut tam promptè, & libenter, nisi dolo fuisset inductus. Porro dolus duplici modo intervenire potest in contractibus, uno, per alterum dolosè contrahen-

tem: altero modo, per tertium aliquem v.g. proxeneta, ignaris contrahentibus. His notatis.

Ad Q. I. primum membrum. 30
R. I. Accepta per simulationem, & dolum versantem circa causam finalem, & principale motivum restituenda esse. Ita communis cum Navar. *cap. 17. n. 107.* Medin. *q. 22. de rest.* Molin. *D. 209.* Lug. *D. 22. S. 6.* Vasque *de rest. Cap. 7. dub. 10.* Less. *l. 2. c. 17. dub. 5.* Bonac. *D. 3. q. 1. p. 2.* Azor. aliisque. Ratio est, quia intentio finis, & motivi principalis determinat actum electionis, ipsaque electio omnem vim, & mensuram suam accipit à fine, qui proin finis, & motivum principale promittentis & donantis merito resolvitur in conditionem, v. g. dono tibi, si pauper es, quia consanguineus es, id est. dono tibi, si pauper es, si consanguineus es &c. dispositio autem facta sub conditione non subsistit, nec obligat, nisi sub tali conditione, eaque subsistente, & impleta. Unde Videtur dicendum in rigore speculativo, Pauperium opificem non posse ita accepta retinere, eò quòd dolus, & error commissus hinc fuerit circa ipsam substantiam, seu circa causam finalem, & principale motivum, scilicet circa ipsum Pauperium ita se pauperem simulantem, cujus paupertatem donantes hac ratione solummodò sublevare volebant, & intendebant: ergò involun-

luntaria, & nulla fuit donatio, utpote facta ob causam finalem motivam existimatam, non tamen subsistentem. Conf. quia talis deceptio dedit causam donationi: ergo, ut donantibus illata injuria reparetur, facienda erit acceptorum restitutio, tanquam datorum ob causam, causam non secutam. Nihilominus.

31 R. 2. Loquendo saltem de eleemosyna ordinaria, quæ communiter pauperibus largiri solet, posse pauperium retinere sic accepta, & collecta, nec pro praxi obligandum esse ad illorum restitutionem. Ita Molina D. 210. Less. l. 2. cap. 18. dub. 17. Vasquez l. c. Navar. l. c. Bonac. l. c. aliique. Ratio est, quia dantes eleemosynam consuetam, etsi animo sint ita constituti, ut non darent, si fraudem cognoscerent, non tamen ita comparati esse creduntur, ut nolint donationem subsistere, & rei datæ restitutionem fieri; plurimi enim sunt, qui licet non darent, si fictionem scirent,posito tamen, quod dederint, attentaque parva quantitate, quam quisque dat, volunt validam esse donationem, præsertim si accipiens dives non sit, & res accepta jam sit consumpta, non curantes, nec volentes restitutionem fieri, ex eo vel maximè, quòd ex una parte ipsi dantes idem meritum apud Deum habuerint, ac si causa, ob quam eleemosynam dede-

runt, ementita, non fuisset; ex altera verò parte restitutio hæc sit admodum difficilis deceptoribus, & sæpe vix moraliter possibilis; Ut adeò præsumendum non sit, dantem velle, ut qui ita accipit, restituere teneatur, quasi condonetur tunc eleemosyna ex præsumpta voluntate ejus, qui dedit, validaque efficiatur ad effectum, ut accipiens restituere non teneatur.

Dixi supra saltem loquendo de Eleemosyna ordinaria. Nam aliud sentiendum foret, si hæc extraordinaria esset, & quantitas fraudibus obtenta valde magna, ac notabilis, ita ut ex concurrentibus circumstantiis & supposita petitionum fictione, actualis, aut quasi habitualis donandi animus nullatenus erui, aut præsumi posset.

Ad secundam. Q. 1. membrum, 32 an, quando ob dolum, & deceptionem præstanda est acceptorum restitutio, facienda ea sit ipsi danti, quando constat quisnam is sit, an verò acceptum pauperibus, aliisque piis operibus sit applicandum, non convenit inter DD. Non esse faciendam danti, sed pauperibus, affirmant Navar. citt. Molina citt. D. 210. Medina Adrian. Cajetan. aliique. Rationem dant; quia cum talis eleemosyna intuitu honoris Divini, & cælestis gloriæ mercedem facta sit, isque, qui illam de-

dit, meritum, & satisfactionem fit consecutus, tanquam pecunia, quæ jam Christi est, habenda est, cujus dominium cum in accipientem non transiverit, ea in subsidium pauperum eroganda est, quibus à dantibus jam prius fuit destinata. Contrà verò restitutionem præstandam esse ipsimet danti, contendunt sicut *de Just. q. 7. a. 3. ad 4.* Bonac. l. c. Less. Rebell. & alii. Ratio est quia ipse dans dominium à se non transtulit in Christum, aliumve, sed amore Christi rem tradidit tali personæ, sub conditione, quæ conditio non subsistit, atque adeò ea non impleta dominium permansit in dante, cui proin, tanquam domino, res est restituenda.

33 Sententia hæc in rigore juridico loquendo, non displicet. Nilominus in praxi & regulariter magis placet opposita, saltem si eleemosynæ quantitas non sit admodum magna. Ratio est, tum quia sententia hæc communior est: tum quia in praxi restitutio hæc non sine magna difficultate & cum modico cujusque dantis emolumento fieri potest, præsertim si multi sint, qui eleemosynam, & quidem non in magna quantitate, sunt elargiti: de quibus proin singulis præsumendum est, quemadmodum amore Christi & paupertatis alienæ sublevandæ eleemosynam dederunt, ita voluntatem eorum esse, ut amo-

re ejusdem Christi, & misericordiæ eadem inter pauperes distribuatur, quibus alias ex bona intentione fuerat destinata.

Ad 2. Q. Satis certum est, 34 quando dolus est duntaxat concomitans, nec dat causam contractui, sed solum incidit in contractum, etiam si ab altero contractuum commissus sit, contractum non reddi infirmum, aut infirmandum, sed in utroque foro validum, & firmum esse, etiam de jure positivo, ut passim docent DD. cum Molin. *D. 352.* & Sylv. *V. culpa. q. 7.* & patet ex *l. si quis 9. princ. ff. de dolo.* & *l. Julianus 13. §. si venditor 4. & §. seq. ff. de action. empt.* Ratio est, quia dolus iste consensum substantialem contractus non aufert, cum intentionem contrahentis non afficiat, utpote qui etiam dolo absente nihilominus consensisset, & conxisset, ut si emissi vinum Autriacum, persuasus esse Rhenanum, quod tamen emissus, etsi non ignorasset. Atque adeò, dolus hic naturali jure validum contractum relinquit, qui proin cum nec à jure positivo irritetur, nec dolus sit causa contractus, non est, cur hic infirmari debeat, etiam post acquisitam scientiam veritatis. Interim tamen decepto adversus decipientem actio competit, ut solvat, quanti interest, dolum adhiberum non fuisse. Pariter satis certum est apud Pal. *11. 14. D. 2.*

p. 5. n. 22. Molin. l. c. Haun. tom. 3. rr. 8. n. 83. & 95. Less. Laym. & alios, nullo jure irritum esse contractum tam stricti juris, quam bonæ fidei dolo etiam antecedente initum, si dolo non versetur circa substantiam actûs, & commissus sit non ab altero contrahentium, sed ab aliquo alio tertio, etiamsi contractui causam dederit, prout colligitur ex l. & eleganter 7. ff. h. tit. l. 2. ff. de proxenetis. Et ratio est, quia ex una parte adest substantialis consensus, ex altera verò parte contrahens nullam injuriam decepto intulit: ergò nihil est, quod contractum infirmet & vitiet; datur tamen decepto actio adversus tertium, qui dolo usus est juxta citt. l. 2. Intelligenda autem hæc sunt, uti & priora, de casu, quo consensus paciscentium non alligatur certæ qualitati, seu tali circumstantiæ accidentali.

35 Dubium hæc duntaxat est, & controversum inter DD. validumne, an irritus sit contractus, quando dolo ab altera parte contrahente non sine injuria commissus est, deditque causam contractui, substantiam tamen illius non afficit. Ubi talem contractum ipso jure irritum, & nullum esse contendunt Bartol. in l. & eleganter & n. 9. Abb. in c. cum dilecti 3. de empt. & vend. Sylv. l. c. Molin. l. c. Covar. Rebell. Perez. aliique complures, id, quod probant. 1. ex l.

& eleganter 7. ff. de dolo, & l. 3. ff. pro socio, quibus locis habetur, bonæ fidei contractus, dolo maloinitos ipso jure nullius momenti esse. 2. Quia æquitas naturalis non patitur, ut aliquis per injuriam jus & actionem consequatur, arg. c. 1. de eo, qui duxit in matrimon. ibi, neque dignum est, ut lucrum de dolo suo reportet. Ergò doloso nulla actio competit, neque jus ullum ex tali contractu acquiritur. 3. Quia contractus onerosus est ultro citroque obligatio: ergo si ex parte decepti non datur obligatio, neque ex parte decepti dabitur: atqui ex parte decepti non datur obligatio, quia datur exceptio, l. si dolo. & §. 1. Instit. de exception.

Contra verò, etsi dolo, dans causam contractui, proveniat ab altera parte contrahente, non sine injuria, contractum tamen subsistere, & validum esse, affirmant complures alii non inferioribus ducti fundamentis, quamvis talis contractus rescindi possit, ac debeat, si deceptus velit, & contractus sit dissolubilis, è quorum numero ita nominatim sentiunt Gloss. in §. 1. Instit. de except. V. efficax est. Less. l. 2. de Just. c. 17. dub. 5. n. 31. Ægid. Coninck D. 23. dub. 9. n. 73. Palav. l. c. n. 19. Haun. rr. 8. citt. n. 86. Laym. l. 3. rr. 4. c. 5. Pirh. hîc n. 6. König n. 5. Wiestn. n. 12. Schmalzgr. n. 14. Pichler n. 6. aliique. Ra-

tionem dant, alias & ipsi Leges afferentes. 1. ex l. si dolo, C. de rescind. vendit. ubi dolo obtenta venditio rescindi jubetur, quod non obscurum argumentum est, ac signum contractus validi, alias rescindi non posset, cum quod nullum est, rescindi nequeat. 2. In sit. de except. §. 1. ibi; si metu contractus, aut dolo inductus, aut errore lapsus stipulanti Titio promissisti, quod non debueras promittere; palam est, jure Civili te obligatum esse, & actio, qua intenditur dari te oportere, efficax est, sed iniquum est, te condemnari, adeoque datur exceptio, quod met. caus. aut doli mali. 3. Ex l. rem alienam 28. ff. de contrah. empt. ubi dicitur, quod emptio & venditio rei alienae teneat; & tamen emptor tunc dolo inductus emit, putans rem esse venditoris propriam. Item ex l. qui vas 48. §. fin. ff. de furt. ubi deciditur, furem fieri dominum pretii pro re furtiva vendita: adeoque venditio tenet, licet fur eam per dolum vendiderit, sciens esse rem furtivam. Prob. 4. ex eo, quod licet dolo, & error circa qualitatem, dans causam contractui, faciat involuntarium secundum quid, non tamen tollat voluntarium simpliciter, quando relinquit consensum substantialem, (intellige, quando consensus in rei substantiam est absolutus, & non duntaxat conditionatus) qui proinde sufficiens est ad producendam obli-

gationem contractus, uti patet in contractu matrimonii.

Utraque sententia haec & ab auctoritate, & a ratione valde probabilis est; posterior tamen, tanquam probabilior, ac verisimilior, magis arridet, praesertim etiam ex eo, quod Leges pro utraque parte allatae commodam patiantur interpretationem, easque utraque pars pro domo sua explicet, & exponat: Ut adeo jus positivum hac in parte dubium sit, & controversum. Quandocumque autem jus positivum dubium est, & potest cum jure naturae conciliari, conciliandum cum eodem est juxta receptam Ictorum regulam. Atqui dolus accidentalis dans causam contractui, sive bonae fidei sit; (ut emptio, venditio, conductio locatio &c.) sive stricti juris, (ut sunt contractus, qui per modum Stipulationis concipiuntur) non reddit contractum irritum, ut tenet communis sententia apud cirt. DD, quia ejusmodi dolus, & per eum inductus error, cum eidem intentio contrahentis non alligetur, non aufert consensum voluntarium; alias si hunc tolleret, pro irritis habendi essent contractus quam plurimi, & matrimonia innumera, quae tamen pro validis passim habentur, utpote in quibus saepe ejusmodi dolus, aut error contingit, dum sponsa fingit se

se nobilem, Virginem, divitem, quæ re vera non est, sicque sponsum inducit ad secum contrahendum, qui non contraheret, si sciret eam non esse divitem aut Virginem, sed pauperem, aut corruptam. Unde ad argumenta allata in contrarium responderi potest, ad 1. eos contractus ipso jure (Civili) nullius momenti esse, non secundum substantiam, sed secundum effectum, quia Judicis auctoritate rescindi possunt, ac debent, adeoque de se firmi non sint. Et in l. quidem & *elegantè* cirt. venditio annullatur, eò quòd fuerit facta à minore sine Judicis auctoritate, quæ ipso jura nulla est.

Ad 2. R. Deceptorem jus, & actionem consequi non ex injuria, sed ex mutuo, eoque absoluto, & substantiali consensu, ex injuria autem potius obligationem contrahere, ut contractum rescindi patiatur per oppositam exceptionem, aut actionem de dolo à decepto institutam: imò etsi deceptus nec excipiat, nec agat contra deceptorem; in conscientia tamen obligatus est deceptor ad resarciendum integrum damnum, quòd ob eam causam deceptus incurrit, cum tale damnum alteri suâ culpâ dederit.

Ad 3. R. Argumentum hoc solvi debere in contractu per metum extorto, qui ipso jure validus est, ut tenet communis, quamvis me-

tum passus illius rescissionem petere possit, non item metum inferens. Cæterum quando alter contrahentium sua culpa est per accidens causa, quòd ex parte alterius nulla oriatur obligatio, nullum omninò est absurdum, quòd ex contractu, ex quo alioquin utrinque obligatio oriretur, nascatur ex altera duntaxat parte, ut pluribus probat Molina cirt. D. 352.

Ad 3. Q. An is, qui indigenti, 37 cui succurrere tenebatur, eleemosynam denegavit, transacta necessitate ad aliquid postea restituendum obligetur, responsio ex eo pendet, an pauper in extrema necessitate constitutus jus habeat ex Justitia ad illa bona, quæ accipit, ita ut Dominus non solum ex misericordia, sed etiam ex Justitia teneatur illa dare. Ubi Prima sententia jus & obligationem ex Justitia negat. Ita Vasquez *In opuscul. de elemos. cap. 3. dub. 3. n. 37.* Sotus *de Just. q. 3. a. 4.* Medina *de ressit. q. 3.* Navar. *cap. 24. n. 7.* Less. *cap. 12. dub. 12. n. 25.* Thom. Sanch. l. 1. *Cont. cap. 5. dub. 5. n. 61.* Reginald. Turrian. *Fill. aliique cum,* & apud Coninck *de carit. D. 27. dub. 7.* Rationem dant. I. Quia, si præceptum misericordiæ, & charitatis ad subveniendum proximo aliquando graviter obligat, tunc vel maximè stringit in extrema necessitate: ergò in casu extremæ necessitatis non datur obli-

obligatio Justitiæ; nam id, quod debetur ex Justitia, non est Eleemosyna, sed solutio debiti. 2. Quia actus Eleemosynæ fundatur in indigentia proximi: ergo ubi major est indigentia, ibi est major ratio Eleemosynæ: in indigentia autem major est in necessitate extrema: ergo. 3. Quia si dives teneretur indigenti succurrere ex Justitia inposito casu, tunc si non succurreret, teneretur postea ad restitutionem damni: hoc autem dici non potest, ut arguit Vasq. *l. c.* aliàs etiam ille, qui in extrema necessitate tenetur vitam proximi defendere, ne occidatur ab inimicis, teneretur ad restitutionem damni, si eum, cum posset, non defenderet, quod tamen ab omnibus negatur. Plures rationes pro hac sententia affert Coninck. *l. c.*

Altera sententia opposita obligationem Justitiæ in casuposito adstruit, ac tuetur cum Cajetano *q. 118. a. 3. & 4.* Petr. Navarr. *l. 3. c. 1. n. 343.* Aragon. *2. 2. q. 32. a. 6.* Spino, Sarmiento apud Vasq. *n. 37.* aliisque. Ratio est 1. quia impediens pauperem, ne in extrema necessitate capiat bona, quibus indiget, peccat mortaliter contra Justitiam: ergo etiam qui non facit Eleemosynam in tali necessitate, peccat contra Justitiam, & per consequens, transacta necessitate tenetur ad restitutionem. Quod ex eo

Confirmatur; quia si indigens non haberet jus Justitiæ ad rem illam,

non posset eam, invito domino, accipere, etiamsi dives ex alia virtute teneretur ad dandum, sicut si aliquis ex voto promississet, vel ex pœnitentia à Confessario injuncta deberet Eleemosynam, non ideò possent pauperes ejus pecunias occultè accipere.

2. Prob. ex eo, quòd in extrema necessitate omnia bona sint communia: qui autem impedit, ne bona communia capiantur, peccat contra Justitiam, ut contingit, quando quis alterum impedit volentem piscari, aut venari in locis communibus.

3. Prob. Dives cogi potest per Judicem ad dandam Eleemosynam indigenti: ergo signum est, divitem teneri ex Justitia ad Eleemosynam pauperibus tradendam. 38

Ex duabus hisce sententiis probabilibus prior, utpote comunior, ac probabilior, præferenda est; præplacet tamen hæc distinctio Lug. *D. 16. S. 7.* aliquid tribuentis utriusque partis fundamentis, dum ait, extremam necessitatem dare quidem jus indigenti, ut possit rem alienam accipere, & acceptatione ipsa acquirat jus in re ipsa, vel ejus usu, prout necessitas exigit, ipsum tamen Dominum non habere obligationem ex Justitia, sed ex misericordia illam dandi; postquam verò indigens utitur jure suo, & eam accipit, Dominum obligari ex Justitia ad non impediendum per vim illius usum, nec ad ipsam rem auferendam; atque adeò necessari-

ceſſitas & indigentia non facit indigentem Dominum formaliter, ſed remotè, quatenus facit rem communem ita, ut ſicut res, quæ non ſunt in ullius dominio, poſſit aliquis ſibi accipere juſtè, & validè; ſic indigens poſſit rem alienam ſibi accipere juſtè & validè perinde, ac ſi in nullius bonis eſſet. Cæterum antequam ab eo accipiatur, Dominus non perdit ejus dominium, ſed ſolum habet obligationem ex charitate, & miſericordia eam dandi, non verò ex Juſticia; quia ſicut circa rem communem, ante ejus occupationem, non habet Petrus jus Juſtitia, ratione cujus alii obligentur ad eam Petro offerendam, ita nec pauper jus Juſtitia ad id habet ratione neceſſitatis, ſed habet duntaxat titulum, ut rem occupare poſſit, ſibi que propriam facere: unde poſtquam pauper rem occupavit, vel utitur jure ſuo ad eam occupandam, nemo ſine injuria poteſt eum impedire, quia ſicut jus habet ad rem occupandam, ac ſi eſſet in nullius bonis, ſic jus habet, ne impediatur ab ejus occupatione, quod jus aliàs læderetur.

Ex his facilè reſpondetur ad utriusque partis fundamenta.

Ad 1. ergò prioris ſententiæ fundamentum R. non obligari divitem ex Juſticia ad ſubveniendum, ſed ex miſericordia, quia licet ex Juſticia teneatur ad eum per vim non impediendum ab occupatione rei, non tenetur ex Juſticia ad eam

R. P. Leonardelli Soc. Jeſ.

offerendam, ſed ex miſericordia; quia licet indigens habet jus ad eam accipiendam, non tamen eſt ſua, donec acceperit.

Ad 2. & 3. R. divitem, non dando, non peccare contra Juſticiam ſed miſericordiam, quia ad dandum non tenetur ex Juſticia, ut dictum eſt, ſed ex miſericordia; atque adeò nec teneri ad reſtitutionem, ſi non det.

Ad poſterioris ſententiæ rationes, ad 1. & ad Conf. reſponſio patet ex dictis; n. enim c. quia licet pauper in eo caſu jus habeat ad accipiendam, & occupandam rem, dives tamen non tenetur ex Juſticia ad eam dandam, ſed ex miſericordia duntaxat.

Ad 2. R. argumentum hoc non urgere Lug. ſed potiùs ejus ſententiam confirmare; non tamen ſequitur, divitem teneri rem pauperi tradere ex Juſticia; nam licet indigens jus habeat ad rem occupandam, res tamen non fit indigentis, donec eam occupet, ſed dominium manet penes poſſeſſorem, cum hac tamen obligatione, ut ſi indigens eam occupet, non impediatur per vim, nec eam auferat, quia indigens utitur jure ſuo, quod in neceſſitate habet ad eam occupandam. Patroni verò primæ ſententiæ reſpondent, peccare quidem eum contra Juſticiam, qui impedit, ne capiantur bona, quæ nul-

F

lum

lum peculiarem habent Dominum, ut contingit in locis communibus; inposito autem casu bona non ita esse communia, quin extet aliquis peculiare jus habens, qui non tenetur illa tradere ex Justitia.

Ad 3. R. n. c. nam, ut notat Vasq. dives cogi potest per Judicem ad dandam Eleemosynam, non quia tenetur ex Justitia, sed quia

sic postulat charitas, & commune bonum.

Ex dictis sequitur, eum, qui denegavit Eleemosynam pauperi, non teneri, transacta necessitate, aliquid restituere, eò quòd negando Eleemosynam non peccaverit contra Justitiam, sed contra charitatem, & misericordiam.

